

nificat igitur hic versiculus, per eleemosynas non fieri homines tenuiores, & despectos, sed augeri diuitiis, potentia & gloria: cuius rei multa sunt exempla in diuinis literis, præsertim in libro Iob, & in libro Tobitæ: & non pauca legi possunt in vitis Sanctorum, ac præcipuè in vita sancti Ioannis Eleemosynarii, & in Prato Spirituali Sophronii.

Res. Peccator videbit & irascetur,
Scin. Dentibus suis fremet & tabescet,
Tau. Desiderium peccatorum peribit.

Postrema felicitas est, quòd timens Deum omnem inuidiam superabit. Peccator videbit, id est, considerabit bona opera timētis Deum, & eius felicitatē, & inuidia torquebitur, & irascetur forti eius. Et instar rabidi canis fremet aduersus illum, & præ dolore tabescet: sed interim desiderium impii, quo cupit perditionem iusti, non adimplebitur, sed vna cum ipso impio breui peribit. Ergo beatus, & felix est, qui timet Dominum; miser & infelix, qui non timet.

PSALMVS CXII.

Titulus, & Argumentum.
Alleluia.

Hic Psalmus brevis & facilis, hortatur cul oves Dei ad ipsum Deum Laudandum, ob id potissimum, quòd ceteris sit altissimus, tamen non dedignatur ad nos oculos inuenire, & multis nos beneficijs assistere.

EXPLICAT. PSAL. CXII:

Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini:
Nomine puerorum intelliguntur serui Dei, qui eum pure colunt: quamuis enim vox græca παῖδες, & latina, pueri, sint com-

munes ad seruos, & ad paruulos significandos: tamen vox hebraica, aude; nihil significat, nisi seruum, & clarius id etiam apparet ex eo quod in hebræo vox, Domini, est in casu gignendi. Laudate serui Domini, laudate nomen Domini. Magna tamen est affinitas seruis cum paruulis, vt non immerito serui dicantur pueri, & pueri serui; quoniam serui sinere debent se regi à Dominis, quomodo paruuli reguntur à maioribus: vnde etiam B. Paulus ait ad Gal. *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo.* Admonemur igitur voce puerorum, seruos Dei simplices, & pueros esse debere, & ad nutum Domini sine tergiversatione procedere. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini, id est, o vos omnes, qui serui estis Dei, in hoc præcipuè illi seruire, vt pura mente cogiteris magnitudinē Domini vestri, & toto cordis affectu laudatis nomē eius, potentiam videlicet, & gloriam eius infinitam. Similis exhortatio habetur in Psal. 135. Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini. & in Psal. 134. Laudate nomen Domini, laudate serui Dominum.

Sit nomen Domini benedictum, ex II. hoc nunc, & vsque in seculum.

Declarat modum, quo serui Dei laudare debent nomen Domini, ac dicit, affectu saltem, & desiderio laudandum esse, quandoquidem re ipsa nos humi repentes laudare, vt oportet, nescimus. Dicit ergo, ait, intimo cordis affectu, sit nomē Domini benedictum, & nunc à presentibus, & vsque in æternum à futuris, vt ab eius laudibus nunquam cessetur, vel potius, ex hoc nunc incipite laudare, & vsque in seculum laudate. i. semper laudate, siue prospera, siue aduersa contingant, siue in hac vita, siue in futura, semper laus eius sit in ore vestro; & cum S. Iob semper dicite, Sit nomē Domini benedictum.

A solis ortu vsque ad occasum, laudabile nomen Domini. III.

Declarat hoc versu, & sequentibus materiam

1733